

De
Novi Testamenti parabolarum
natura et indole.

Quum omnibus omnino dicendi generibus *Iesum Christum*, Salvatorem Nostrum, summum in terris rerum divinarum doctorem, excelluisse, tum imprimis eloquentia oratores et qui unquam exstiterint dicendi magistros quam maxime superasse, id quidem non ex singulo illo solum Novi Testamenti loco,*) quo Christus *ὡς ἐξουσίαν ἔχων* docuisse traditur, facile apparet, sed ex omnibus etiam locis intelligitur, qui habent explicationum, adhortationum, *vituperandi* omne genus. Et hujus quidem generis inveniuntur exempla tum in oratione quae dicitur montana, qua vetera officiorum praecepta novo illustravit Christus lumine, tum in concionibus illis quidem severis, quibus in Phariseos est invectus, tum in paroemiis, quibus intimam Sui Ipsius vel ad Patrem vel ad Suos a Patre sibi datos sub imagine quadam proponit relationem, tum denique in parabolicis sermonibus, quibus, quum et inferioris ordinis et minoris intellectus homines de regni coelestis incremento et propagatione docere vellet, maximopere est usus. Namque ut ait Ipse Soter Marc. IV, 11: „illis qui foris sunt in parabolis omnia fiunt“. Placet autem nunc cum lectoribus de parabolico sermone, quo Salvator usus est, pauca communicare. Ac primum quidem de vocabuli *παραβολή* stirpe et notione disseremus, tum de propria et genuina doctrinae parabolicae ratione et natura agemus, denique de consilio nonnulla dicemus, quod Dominus Noster *ἐν παραβολαῖς διδάσκων* (Marc. IV, 2) habuit.

§ 1.

De vocabuli stirpe et notione.

Παραβολή, quod vocabulum a *παραβάλλειν res inter se collocare, componere, conferre* ducendum est, proprie rerum, quae in sensus incurrunt, *collationem* denotat, ut navium in acie, quod ex locis Diod. Sic. XIV, 60 et Polyb. XV, 2, 13 cognovimus; per translationem autem de rebus usurpatur eo consilio iuxta se collatis, ut quid simile inter se habeant, quid non, cognosci queat. Comparationis igitur et similitudinis notionem accipit vocabulum; quo sensu *παραβολή* legitur tum apud Marcum IV, 30: *βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐν ποίᾳ παραβολῇ παραβάλλωμεν*; h. e. *regnum Dei cui similitudini comparabimus?* tum apud auctorem

*) Matth. VII, 29.

epistolae ad Hebraeos scriptae XI, 19: ὄθεν αὐτὸν (τὸν Ἰσαάκ) καὶ ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο (ὁ Ἀβραάμ), quod est: *Abrahamus eum* (filium Isaacum) *similitudinis instar* i. e. *ita retulit vel potius recepit, ut resurrectionis post mortem futurae quasi imaginem ante descriptam et figuratam haberet*. Rem igitur non solum similem, verum etiam ante figuratam i. e. eam, quae πρότυπος vel προτύπωμα, προτύπωση a posterioribus scriptoribus, a Cicerone autem Ep. ad Att. XII, 41 et Plinio H. N. XXXV, 12 ante med. sect. 45 πρόπλασμα, a Nostratibus *Modell* dici solet. Hoc sensu accipitur παραβολή Hebr. IX, 9., ubi foederis Moisaici tabernaculum παραβολή i. e. norma figurata vel ante descripta rei futurae dicitur. Neque vero de rebus solum, quae in sensus incurrunt, sed de iis etiam, quae cogitatae sive fictae proponuntur, et *ficticiae* recte dicuntur, παραβολή in Novo Testamento usurpatur; cujus quidem generis exempla, in quibus tractandis oratio parabolica sensu strictiore sumta potissimum versatur, paulo post separatim dicemus. Vide § 2. Iam vero quum parabolico docendi genere Salvator Noster studiosissime utatur, omnis fere sermo figuratus i. e. in imagine quadam versatus παραβολῆς nomine significatur. Huius generis videntur esse nobis breviores illae parabola, quae leguntur apud Matthaeum XXIV, 32 de arbore ficī, apud Lucam VI, 39 de caeco caecum ducente, et XIV, 7 de invitatis ad nuptias. Atque etiam omne proverbiorum genus, quippe quod in singulae rei notione illustranda imaginis alicuius auxilio utatur, effecit, ut quaevis oratio proverbialis, gnomica, et per se paulo obscurior a Scripturae Sacrae auctoribus graece diceretur παραβολή.*) Hinc fit, ut quod apud Lucam IV, 23 servatum legimus proverbium: *ἰατρέ, θεράπευσον σεαυτὸν* i. e. *medice, curate ipsum!* id a Christo παραβολῆς vocabulo annuncietur. Atque in sententiosa hac dicendi ratione Dominus Noster ita sibi placuit, ut quaelibet eius doctrinae pars παραβολή diceretur. Conf. Luc. I. c. XIV, 7. Qua de causa praeceptum illud: *γίνεσθε τραπεζίται δόκιμοι* i. e. *evadite boni argentarii*, a Clemente Romano Christo tributum,**) ob figuratam dictionis indolem non omni caret probabilitate. — Comparari potest cum graeco vocabulo Hebraeorum מִשְׁפָּחָה, quod non gnomiam solum denotat sententiam, cuius generis sunt מִשְׁפָּחָה לְמֹשֶׁה i. e. *παροιμία Σολομώντος*, sed eam etiam significat orationem, quam Graeci παραβολήν nominant eo, quem iam indicavimus, sensu intellectam. Inveniuntur enim apud Hebraeos מִשְׁפָּחָה i. e. *παραβολαί*, quo quidem vocabulo graeco a LXX interpretibus fictae illae longiores dicuntur enarrationes, quae in Ezechielis prophetia c. XVII, 2 et XXIV, 3 leguntur. Atque etiam breviores sententiae, adagii speciem habentes, ita ab illis vertuntur; qualis est illa I. Sam. X, 12: *num Saulus inter prophetas?* Plura legere cupientem ad *Gesenii* Lexicon Germanico-Hebraicum s. v. מִשְׁפָּחָה ablegamus. Et si quis

*) Huius rei firmandae causa ad *Etymol. Magni* auctorem lectores nostros ablegamus, ubi s. v. παραβολή haec fere leguntur: Παραβολή: αἰνιγματώδης λόγος, ὃ πολλοὶ λέγουσι ζήτημα, ἐμφαίνων μὲν τι, οὐκ αὐτόθεν δὲ πάντως, δῆλον ὄν ἀπὸ τῶν ῥημάτων, ἀλλ' ἔχον ἐντὸς διάνοιαν κερνημένην, ὡς ὁ Σαμψὼν (Simson) ἔλεγεν (Jud. XIV, 14), ἐξῆλθεν ἀπὸ στόματος πυροῦ γλῶκί' καὶ Σαλουῶν (Proverb. I, 6), τότε νοήσεις παραβολὴν καὶ σκοτεινὸν λόγον. — Παραβολή καὶ ὁμοίωσις: Ἄλλην γὰρ παραβολὴν φησὶ (Matth. XIII, 24) παρῆθην αὐτοῖς λέγων ὁμοία ἐστὶν (ὁμοίωσθ' ἕλεγε) ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν σπείροντι. Suidas s. v. παραβολή haec habet: λόγος αἰνιγματώδης καὶ κερνημένος, πρὸς ὠφελίαν φήσων. Idem: παραβολή: διήγημα (II. Paralip. VII, 20). Ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου (Psalm. LXXVIII, 2), ἀντί τῶν, ἐν διηγῆσει ἀρχαίων λόγων καὶ ἡ ὁμοίωσις, καὶ τὸ ἀλληγία, καὶ ὑποδείγμα.

**) Vide sis: *Krehl*, Neutestamentl. Handwörterbuch. Leipz. 1843. s. v. Gleichniss S. 321.

omnes locos in Novo Testamento obvios, quibus legitur vocabulum *παραβολή*, oculis perlustrare velit, eum adire iubemus Nostrum: Griechisch-Deutsches Woerterbuch z. N. T. edit. sec. Giessae 1858. s. v. *παραβολή*.

Restat, ut eam quoque adiiciamus notionem, quam praeterea apud profanos qui dicuntur scriptores *παραβολή* habet. Significatur enim hac voce, potissimum si verbi medii *παραβάλλεσθαι* notio in censuram venit, quae interdum est *periculo se obiicere* vel *exponere*, cf. *Hom. Il. IX, 322*; *Polyb. Hist. IV, 57*; *Xenoph. Cyrop. II, 3, 5*; *II. Macc. XIV, 38*, *discrimen, praesentissimum vitae periculum* et de eo usurpatur, qui audax et temerarius periculo sese obiicit, unde *παραβόλος* apud *Hesychium* componitur cum vocabulis *τολμῆρός* et *ἐπιζίνδυνος*. — Atque etiam latini scriptores *parabolam* habent. Quo sensu sit usurpata, docet *Forcellini* in totius latinitatis Lexico s. v. *parabola*, unde huc transtulimus locum, ad nostram rem spectantem, qui est apud *Quintilianum* in *Institt. Oratt. V, 11* med.: „*Παραβολή*, quam *Cicero* collationem vocat, longius res, quae comparentur, repetere solet“.

§ 2.

De propria ac genuina doctrinae parabolicae in N. T. ratione et natura.

Quum omnia, quae *Christus* docuit, tum parabolae, quibus saepissime usus est, divino abundant spiritu et coelestium rerum naturam veluti intueri nos patiuntur. Omnes enim parabolae, de quibus nunc est potissimum cogitandum, ad regnum coeleste a *Iesu Christo* nunciatum imprimis spectant. At fortasse quaerat quispiam: quo tandem modo parabolae, narratiunculae illae, quibus non nisi aut vitae quotidianae eventus, aut rerum naturalium rationes in vulgus notae memorantur, ad illustrandam regni coelorum naturam idoneae a *Christo* haberi potuerunt? Id ipsum nunc est probandum.

Enim ex rebus, quae in sensus incurrunt eamque, quam diximus, naturam sensu quodam obiectivo intellectam complectuntur, *Dei*, totius mundi creatoris et gubernatoris, natura, efficacia, maiestas quodammodo cognoscitur. Id omnes, qui unquam a reliquis hominibus prudentissimi vel sapientissimi sunt habiti, bene intellexerunt et adfatim adfirmaverunt viri docti, etiam ii, qui profani dici solent, scriptores. Ne plura dicamus, ad eum, qui de hac re multa scite protulit, remittimus lectores nostros, ad *C. I. Nitzschium* in: *System d. christl. Lehre* (Fünfte Aufl. Bonnae 1844. pag. 12).

At vero „*Deum nemo vidit unquam; unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit.*“ *Ioan. I, 18*. *VI, 46*. *I. Ioan. IV, 12*. Ex hoc, quod tulit *Sanctus Ioannes*, iudicio sequitur, ut omnis, quae fiat ab hominibus, rerum naturalium contemplatio et imperfecta sit habenda et manca. Nimirum, qui *Deum* ex operibus recte vult cognoscere, divino affectus sit necesse est beneficio, quo quidem fruebantur *sancti illi Dei homines, qui Spiritu Sancto inspirati sunt loquuti*. Cf. *I. Petri II, 21*. Quod recte vidit incognitus ille *Libri Sapientiae* auctor, qui *c. XIII, 1* seq. haec habet: „*Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, et de his quae videntur bona non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex cet.*“ Inde sequitur, ut *Iesus Christus*, qui *Dei Ipsius* eminentissimus putandus sit revelator,*¹) unus perfectissimus, germanissimus, omnibus numeris absolutus rerum naturalium

*¹) Vide sis *Ioan. I, 1—3*. *10. Hebr. 1, 2*. *3*.

interpres, explicator, quasi lector habeatur sit necesse. Atque etiam ii, qui Iesu Christi doctrina ex litteris sacris hausta imbuti earumque auxilio adiuti sunt, omnes in rerum natura efficaciae divinae speciem referente non solum ea cernunt et contemplantur, quae ceteri homines rerum cognoscendarum cupidi animadvertunt, sed alia eaque nova detegunt, quae eos, qui divino destituuntur Spiritu, prorsus fugiunt. Namque in mundi, quem satis docte κόσμον h. e. ornatum dixerunt Graeci,*⁾ universitate non solum omnino expressum est Dei numen et maiestas, sed benevola imprimis eius gratia et quae ad βασιλείαν τοῦ οὐρανοῦ vel τῶν οὐρανῶν spectant consilia. Cuius regni quum legitimus esset Christus conditor verusque nuncius, a Deo in terram missus, re vera solus erat, qui res terrestres omnium et altissime perspicere et planissime explicare posset. Sed quum novas illas rerum divinarum notiones et species, quae ad regnum Messiae pertinerent, illustriore vellet in lumine ponere, neque nova, hominibus sui temporis incognita, uti posset lingua, ad sententias cum hominibus communicandas ἑλληγορικὴν i. e. immutatam et συμβολικὴν i. e. imaginis auxilio adumbratam non potuit non adhibere orationem. Quis est quin hoc intelligat? An vero nescis, res terrestres humanasque ad coelestes divinasque referri earumque formam quandam animis nostris imprimi posse? Hinc fere nominationum et verborum propria et impropria orta est significatio, quarum hanc invenire vel detegere, acris est ingenii. Huius generis exempla, quod singula attinet verba, in Novo Testamento plurima habemus, veluti haec: ἄνθρωπος, δικαιοσύνη, λόγος, ἐλπίς, πίστις, πνεῦμα, σὰρξ, ψυχή, ἁμαρτάνειν, ζωοποιεῖν, βαπτίζειν, βαπτίζεσθαι ἐν ὀνόματι τινος, πιστεύειν, alia. At quo Christus erat ingenii acumine, qua animi sagacitate, qua omnium rerum intelligentia, quum in terris versaretur, omnium magistrorum optime perspexit et acutissime intellexit, quippe qui esset φέρων τὰ πάντα τῷ ᾄματι αὐτοῦ Hebr. I, 3., quas haberent res terrestres humanaeque, quas hominum bestiarumque rationes, cum rebus regni coelorum similitudines, denique quae similitudines non solum in his, sed etiam in plantis, herbis, arboribus, lapidibus, aquis, ceteris omnibus, quibus terrae coelique globi constant, rebus apparerent. Quibus in similitudinibus tum inveniendis tum explorandis omnis parabolici sermonis vis ac natura cernitur; namque est parabola ea potissimum vis et indoles, ut fabulas fictas h. e. res non re, sed cogitando factas, vel longiore vel breviori narratiuncula comprehensas, ita proponat, ut aliqua inde pelluceat imago regni coelorum. Atque hoc est discrimen, quod inter παραβολὴν et παροιμίαν**⁾ intercedit, ut illa de praeteritis,

*⁾ Conf. Plin. H. N. II, 4, 3: „quem κόσμον Graeci nomine ornamentum appellavere, eum nos a perfecta absolutaque elegantia mundum“. Cic. in Timaeo s. de Universo (vid. Fragment. in Orelliana Ciceronis Opp. editione Vol. IV. P. II, p. 507): „ut hunc hac varietate distinctum bene Graeci κόσμον, nos lucentem mundum nominaremus.“ Latinorum autem vocis mundus origo quaeri solet in mungo, ut mundus ex munctus sit factus. At aliter rem indicat Doederlinus apud Forcellinum s. v. mundus. Adiectivum mundus denotare purus, tersus, nitidus, lautus, elegans inter omnes constat, quam ob rem substantivum mundus significat et universitatem rerum et instrumentum ornatus muliebris. Utrumque a munditia, ut Varro apud Forcellinum s. v. tradit: „munditia autem ad ornatum elegantiamque refertur“. Nostrum Welt, quod vocabulum a walten immerito a nonnullis ducitur, media aetate Werlt sonabat; recte derivatur a vairan s. wahren et oll, all, old, quae particula vocabulis derivandis inservit [cf. Her-old, Arn-old, Rein-old], at notio eius non est nota. Cf. Schwenk Wörterbuch der deutschen Sprache. 3. Aufl. Frankf. a. M. 1838. s. v. Welt.

**⁾ Παροιμία est ex veterum interpretum sententia βιωφελὴς λόγος, παρὰ τὴν ὁδὸν λεγόμενος, οἷον παροδία, scilicet vocabuli etymologia est παρὰ et ὁ οἶμος id quod ἡ ὁδὸς via, semita. Itaque παροιμία significat sermonem, qui usitatum dicendi rationem deserit, quae est adagiorum et proverbiorum ratio. Hoc sensu profani usurpaverunt vocabulum scriptores; Ioannes vero Apostolus ampliore sensu, παραβολῆς notionem stringente, quamvis non tangente.

haec de praesentibus agat rationibus. Neque casu factum est, ut, quae a Ioanne Evangelista proponerentur similitudines sive paroemiae, non nomine solum, sed etiam re differrent a reliquorum Evangelistarum parabolis. Nimirum Ioanneae similitudines ad ipsum Messiam, in terris viventem et omnibus praesentibus praesentem, pertinent eumque cum rebus vel hominibus, qui in re praesenti affuerunt, saepissime conferunt. Rei illustrandae causa paroemiae de pastore ovium Ioan. X, 1—16 et de vite vera et agricola, Christi Patre, Ioan. XV, 1—10 in medium proferantur. Namque in errore versari nullo modo mihi videntur ii, qui censent, quum Christus paroemias has eloqueretur, et oves earumque pastores, et vites earumque palmites amputatos eo modo in auditorum fuisse conspectu, quo Ipse loquens in horum conspectu adstaret.

Sed redeat unde digressa est oratio. Parabolarum autem, quarum specimina solos*) apud priores tres Evangelistas reperiuntur, duplex est genus: alterum apologicum, symbolicum alterum dicitur. Utrumque enim quamquam hoc habet commune, ut in sententia cernatur de regni coelestis natura et indole proposita, quam oculis quasi intueri nobis videamur, differt tamen alterum ab altero. Nimirum apologicum ἀπολόγους i. e. fabulas sive narratiunculas fictas habet, in quibus tanquam in speculo videmus homines quosdam, qui aliquid vel egerunt, vel dixerunt, vel laboraverunt, vel sunt perpassi. Narratiunculae autem istae ita sunt comparatae, ut plures et personae, quae tum primas agant partes tum secundas, et res modo maioris, modo minoris momenti in scenam prodeant rerumque gestarum vel fictarum longiore opus sit expositione. Huius vero generis parabola sunt sine ulla dubitatione existimandae hae: de *Rege*, rationem ponere cum servis suis volente Matth. XVIII, 23—35; de *Patre* familias, primo mane conducere operarios in vineam suam exeunte Matth. XX, 1—16; de *Patre* familias, vineam plantante eamque agricolis locante Matth. XXI, 33—44, collatis Marc. XII, 1—12, Luc. XX, 9—19; de *Rege*, nuptias filio suo faciente Matth. XXII, 1—14, collato Luca XIV, 16—24; de decem *Virginibus*, lampades suas accipientibus et sponso sponsaeque obviam euntibus Matth. XXV, 1—13; de *Homine*, peregre proficiscente et servis suis bona sua tradente Matth. XXV, 14—30, collato Luca XIX, 12—27; de *Samaritano*, misericordia moto Luc. X, 30—37; de *Homine*, coenam magnam faciente multosque ad eam vocante Luc. XIV, 16—24; de *Homine*, duos habente filios, adolescentiorem alterum (perditum), seniorem alterum (semper cum patre viventem) Luc. XV, 11—32; de homine *Divite*, quotidie epulante, et *Mendico*, ad eius ianuam iacente (Lazaro) Luc. XVI, 19—31. De caeteris vide parabolarum commentarium § 4. Qualis sit his expressa parabolis sententia ad regnum coeli pertinens, id investigare et explorare boni est interpretis, cuius partes praeter alios *Olshausen*, *Otto v. Gerlach*, *Tholuck*, ceteri, quorum opera sunt in vulgus nota, bene egerunt.

Alterum vero parabolarum genus, quod symbolicum diximus, in συμβόλοις h. e. in notis quibusdam versatur, ex quibus aliqua regni coelestis notio possit intelligi. Sunt autem breviores expositae narratione istae notae habentque eo faciliorem intellectum, quo minor est numerus personarum et rerum in scenam prodeuntium. Singulas enim regni coelestis condiciones rationesve ostendunt, quippe quae eius aut initia

*) Mirari licet, quod soli priores tres Evangelistae qui vulgo dicuntur *synoptici* parabolas, Ioannes solus paroemias Christi orationibus admixtas, memoriae prodiderunt. Quam rem si quis velit scrutari, in explorando consilio, quo quisque Evangelistarum ductus in lucem ediderit suum evangelium, operam consumat necesse sit peculiarem, a nostro consilio recedentem. Cf. praeter reliquos: *Rudiger*, Synopsis evangeliorum Matthaei, Marci et Lucae cum Ioannis pericopis parallelis cet. Halae 1829. 8.

incrementa, ambitum, aut gloriam, pretium, dignitatem, aut stabilitatem, perennitatem, aut ut paucis dicamus varios casus in clariore luce ponant. Exempli causa huc referimus has parabolas: de *Seminante*, ad seminandum exeunte Matth. XIII, 3—23, coll. Marco IV, 3—21, Luc. VIII, 5—15; de *Lolio*, inter tritica sparso Matth. XIII, 24—30; de grano *Sinapis*, in arborem magnam crescente Matth. XIII, 31. 32, coll. Marco IV, 31. 32, Luc. XIII, 19; de *Fermento*, in farinae satis*) tribus abscondito Matth. XIII, 33, coll. Luc. XIII, 21; de *Thesauris*, in agro defosso Matth. XIII, 44; de *Mercatore*, bonas margaritas quaerente Matth. XIII, 45. De caeteris vide parabolarum commentarium § 4. Paucae restant parabola, de quibus non satis constat utrum ad apologicum, an ad symbolicum sint referendae genus, de quibus vide commentarium.

§ 3.

De consilio, quod Christus *ἐν παραβολαῖς διδάσκων* habuit.

Christus, eam ob causam summus rerum naturalium interpret et doctor, quod Ipse Verbum est divinum Ioan. I, 1, saepissime ut constat parabolis est usus. Quarum intellectus quum nonnunquam iusto sit difficilior, quaeritur, num recte fecerit, ut, quae de regni sui natura vellet tradere, parabolarum ea involucris tegetet. Recte quidem fecit; namque et Ipsum suarum parabolarum interpretem fuisse legimus, non solum ut explicaret rogatum, sed etiam ultro id nonnunquam facientem, conf. Matth. XIII, 18 seqq., Marc. IV, 10, et ex consilio, quod *ἐν παραβολαῖς διδάσκων* habuit, luculentissime apparet. Etenim hoc, si diligentius exploraverimus, duplex fuisse videbimus: alterum quod planum et in promptu est in docendi, alterum quod ampliore eget expositione in puniendi quadam ratione versatur; illud universum dicimus, quod ad omnes omnino auditores, dummodo discendi cupidi essent sinceramque Christo fidem haberent, potissimum spectabat, hoc peculiare nuncupamus, quod ad eos tantum pertinebat homines, qui quum mentem a rebus divinis haberent alienam, tum ad Iesu Christi, divini doctoris, vocem aures pertinaciter claudebant fidemque eius dictis negabant. Ac primum quidem de hac consilii ratione.

Disertis apud Marcum IV, 11. 12 legimus verbis expressum hoc Iesu Christi consilium: *vobis i. e. Apostolis datum est nosse mysterium regni Dei, illis autem qui foris sunt i. e. qui mentem a rebus divinis alienam habent fidemque mihi negant in parabolis omnia fiunt i. e. traduntur, „ut videntes videant et non videant, et audientes audiant et non intelligant, ne quando convertantur et dimittantur eis peccata.“* Num quid his verbis clarius esse potest? In conspectu ponimus graeca verba: „*ἵνα βλέποντες βλέπωσι καὶ μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι καὶ μὴ συνιῶσι, μήποτε ἐπιστρέψωσι καὶ ἀφεθῆ ἑαυτοῖς τὰ ἀμαρτήματα.*“ At, quamquam perspicua sunt haec verba et plana, multi tamen huius loci interpretes vehementer sese torserunt, qui, quum veram particulae *ἵνα* notionem aut non satis cognitam haberent aut prorsus ignorarent, aliter ex laqueis se expedire non potuerunt, quam ut eandem particulam hoc loco non de *consilio* Christi, sed de rei *eventu* intelligendam hoc est particulam *ἵνα* non *τελικῶς*, sed *ἐκβατικῶς* sumendam esse arbitrarentur. Ad confirmandam opinionem hanc locum parallelum Matthaei XIII, 13: *διὰ τοῦτο ἐν παραβολαῖς αὐτοῖς λαλῶ, ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ*

*) Cf. *στάτον* mensurae nomen in Lexico Nostro s. τ.

συνιοῦσι in auxilium vocant, opinantes, quum particula ὅτι causae magis quam consilii rationem habeat, locum explicatu esse faciliorem, remque ita obiter tractant, ut eam acu non tangant. *) Vehementer enim errant, qui censent, notiois particulae ἵνα apud Marcum immutatione loco opem esse ferendam. Christus enim in utroque tum Matthaei tum Marci loco quandam Iesaeae prophetiam ante oculos habuit, quae VI, 9. 10 hunc in modum est dicta: „dixit (Iehova prophetae): vade et dices populo huic: audite audientes et nolite intelligere: et videte visionem et nolite cognoscere. Excaeca cor populi huius et aures eius aggravata et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis et auribus suis audiat et corde suo intelligat, et convertatur et sanem eum.“ Eandem sequamur necesse est explicandi viam, quam, si reliquas Veteris Testamenti prophetias in Iesu Christi effatis saepissime obvias recte interpretari voluerimus, non poterimus non ingredi.

Quaecunque enim a Iesu Christo, regni coelestis in terris conditore, ut hoc et inchoaretur et proferretur, sunt vel facta, vel dicta, vel tolerata, non casu quodam et forte evenerunt, sed secundum Dei voluntatem et ex divino acciderunt consilio. Conf. Act. Apost. III, 18. Cuius rei testes habemus Veteris Testamenti libros, qui dicuntur canonici, in quibus quae ad Messiae futuri vitam, doctrinam, inaugurationem, eiusque instituta, perpassionem, mortem, resurrectionem et adscensum in coelum spectarent, tum effatis vel vaticinijs, tum typis hoc est signis quibusdam ante sunt constituta et praedicta. Quae quidem instituta et vaticinia quum arte quadam componuntur et traduntur, *typologiae* et *theologiae propheticae* nomine feruntur. De arctissimo igitur illo vinculo, quod inter Veteris et Novi Testamenti rationes sacras ad regnum Messianum pertinentes intercedit, sibi quisque Christo fidem habens ita persuasit, ut divinam hanc oeconomiam in opere salutari conspicuam semper habeat ante oculos necesse sit. Hanc vero divini consilii a Iesu Christo hominibus patefacti rationem *teleologiae* nomine nuncupare solent theologi, de qua hoc loco non est cur amplius loquamur. Plura legere de hac re cupientem adire iubemus: Baumgarten-Crusius theol. Bibl. p. 272; Tholuck Ausleg. d. Brief. an d. Röm. 3. Aufl. p. 375 seq.; Anonymus: Ob die Partikel ἵνα im N. T. ἐκβατικῶς gebraucht werde, im Neuen krit. Journal d. theol. Litteratur von Winer und Engelhardt, Vol. IV. Fasc. 4 p. 413 seq.; Meyer im Kommentar üb. d. N. T. Evang. Marc. p. 183., Evangel. Ioh. p. 69. 129; Winer in d. Grammat. d. N. T. Sprachidioms. 6. Aufl. Leipz. 1855. p. 406 seq. Atque etiam nos ante hos octo annos de eadem re uberius egimus: Zur Kenntniss der N. T. Gräcität im Wetzlarer Herbstprogramm 1850. p. 18 et im Griech.-Deutsch. Wörterbuch z. N. T. Edit. sec. Giess. 1858. s. v. ἵνα.

Illorum autem vaticiniorum, quae eo consilio, ut Novi Foederis aevo rata fierent, antiquissimis iam Veteris Testamenti temporibus Iudaeorum gratia in lucem sunt edita, accuratissimam quo fieri potuit modo Christus habuit rationem. Id ex annunciationibus intelligimus, quibus, quoties vaticinium aliquod expletur, Christus usus est his expressis verbis: ἵνα πληρωθῇ ἡ γραφή, vel τὸ γεγραμμένον, vel τὸ ῥηθέν, vel ὁ λόγος γεγραμμένος, aut ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαί, aut τότε ἐπληρώθη τὸ ῥηθέν. Nulla igitur res,

*) Instar omnium Kuinoel citetur, qui ad I. I. Matthaei in Commentario suo in Libros N. T. Vol. I, p. 398 haec habet: διὰ τοῦτο ἐν παραβ. λαλῶ. Itaque illas ipsas doctrinas de natura et indole Messiani paraboliarum integumentis involvo, ut excitentur mentis nervos intendere, ne tandem priventur omni doctrinae divinae scientia, sed in ea quantum possint proficiant.

quae ad Salvatoris Nostri vitam illustrandam eiusque munus triplex explicandum accidebat, casu quodam caeco est facta, sed in Dei ipsius consiliis, ad salutis aeternae per Christum hominibus parandae ordinem pertinentibus, usque quaque est posita. Ita factum est, ut altera consilii, quo Christus *ἐν παραβολαῖς διδάσκων* usus est, ratio in eo versaretur, ut quaedam Dei minae, veteribus Iudaeis, ob impietatem a Iesaja c. V, 2 cum vite labrusca comparatis, *propositae* [cf. Ies. VI, 9. 10 supra laud.] atque etiam posterioribus Iudaeis eandem ob causam iniunctae fierent ratae *explerenturve*.

Iam vero ex his, quae de una consilii ratione diximus, nullo modo sequitur, ut altera prorsus vana neque ullius momenti fuerit Christi oratio parabolica, quoniam, ut idem propheta c. IV, 3 dicit: „omnis, qui relictus fuerit in Sion, et residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis, qui scriptus est in vita in Ierusalem.“ Loquitur enim de futuro Messiae tempore, quo „erit germen Domini in magnificentia et gloria et fructus terrae sublimis et exultatio his, qui salvati fuerint de Israel“; cfr. v. 2. Illud quidem Domini germen nunquam prorsus et extirpatum est et extirpabitur, namque ait Ipse Dominus: „Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omne os, quod non adoravit cum osculans manus.“ I. Reg. XIX, 18. Atque etiam Novi Foederis tempore Dominus idem: „Nolite, inquit, timere *pusillus grex!* Quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.“ Luc. XII, 32. En velata quae dicitur a theologis ecclesia! Nonne auditorum, quos habuit Christus *ἐν παραβολαῖς διδάσκων*, plures huic adnumerari possunt ecclesiae? Eorum in numerum non Apostolos solum, sed ex reliquis Iudaeis eos etiam relatos esse volumus, qui secundum Sancti Simeonis exemplum *consolationem Israel exspectabant et in quibus Spiritus Sanctus erat*. Luc. II, 25. Scilicet, ut Apostolus I. Cor. II, 10 docet, nemo nisi qui divino adiutus est Spiritu ea intelligit, quae natura visibilis de rebus ad regnum coeli pertinentibus manifestat; nemo nisi qui divinae sapientiae dote i. e. *πνεύματι ἀγίῳ* est beatus, neque in interiora Dei consilia penetrat, neque revelationis christianae mysteria perspicit. Quapropter ne ipsi quidem Apostoli, quamdiu Spiritus Sancti dotibus carebant, totam Christi *ἐν παραβολαῖς διδάσκοντος* mentem assequi potuerunt. Itaque quod iam supra diximus suarum Ipse saepenumero interpret factus est parabolarum. Huius enim generis auditores quum respiceret Dominus, de altera consilii cogitabat ratione, de qua pauca nunc sunt dicenda.

Etenim quum Christus muneris quod dicunt theologi prophetici partes agere coepisset, multos habuit ex Iudaeis adversarios. Primum regnum coeleste appropinquare docuit, deinde, quibusdam vitae emendandae conditionibus in oratione montana propositis, non nisi, qui salutis aeternae essent cupidi, eos ad Novum Foedus merito adsciscendos esse voluit, tum semet Ipsum huius salutis auctorem regni coelestis Regem patribus iamiam coelitus promissum i. e. Messiam esse palam professus est, denique doctrinam hanc a Se Suisque quoquo versus propagatam splendidis adornavit miraculis. Quae quamquam disertis docuit verbis luce clarioribus et in omnium conspectu patravit, paucos tamen tantum ad suam perduxit sententiam. Factum enim est, ut multi qui essent auditores neque fidem ei haberent, et in pravo mentis statu perseverarent, opinantes, coeleste illud regnum ad terrenas potius causas conditionesque referendum esse, in quod si adsciscerentur, eo facilius libidines sese explere posse suas, quo magis praesentem vitae suae statum improbarent eumque aegre ferrent. Quod quum Dominus animadvertisset, potissimum Pharisaeos armatos in se retinere animos sensisset, in medio docendi muneris cursu novam ingressus est institu-

tionis viam coepitque *ἐν παραβολαῖς λαλεῖν*. Hanc ingressus viam simplicem, quasi attenuatam orationem reliquit seque ad eam applicuit dicendi rationem, quae in similitudinibus, in figuris et tropis cernitur, i. e. *parabolis* usus est. Quod quum faceret, Iesiae quidem prophetiam supra laudatam ratam fieri voluit, sed nullo modo doctoris et magistri munere se abdicavit. Velavit modo ea, quae nude tradiderat, et sapienter fecit. Etenim quamquam parabolica oratio non rem ipsam, de qua agitur, proponit, quia reluctem solum eius imaginem reddit, tamen, quae eius est natura singularis, hanc in animum auditoris imprimere et memoriae quasi tradere solet. Vis autem imaginandi atque etiam memoria iis animi facultatibus sunt adnumerandae, quae in hominibus vel impolitibus et litterarum artiumque expertibus quodammodo excultae plerumque inveniuntur. Utriusque vero facultatis auxilio imagines, animo auditu impressae, statim revocari et excitari possunt, tantumque abest, ut illae paulatim ex animo evanescant, ut serius ocius mirum quantum redintegrentur fiantque ad intelligendum faciliores. Quae quum ita sint, fieri potuit, ut vel ipsis, quorum in poenam veritas divina imaginibus parabolicis primum obtegeretur, posteriore tempore quum poenitentia essent affecti, imagines illae denuo restituerentur et divinae veritatis intellectum quandam aperirent. Multa enim in parabolis rei principalis adornandae causa proponuntur, quae quum ad vigorem quandam picturae conciliandum esse videantur apta, principem picturae notionem adtollant, multis modis levent et quasi in adspicuum lucemque proferant. Ita fit, ut imago, de qua imprimis agatur, quum vividis coloribus sit depicta, in auditorum animos multo facilius sese insinuet et vel doctrinam, quae nudis tantummodo proponatur verbis, quodammodo superet.

Iam vero si de explicatione parabolarum aliquid dicendum est, quae res in parabolis ornamenti causa inveniuntur tanquam secundariae, earum, quum princeps notio quaeritur, non ita est habenda ratio, ut quivis *πάρρητος λόγος* in censuram veniat et ad explicationem rei quae primario sit loco sustentandam adhibeatur, licet negari queat, magnum nonnunquam pondus et grave momentum inesse in iis etiam rebus vel personis, quibus parabolarum auctor tanquam subsidiariis sit usus. Ut unum modo proferam exemplum, ex parabola de filio perduto Luc. XV, 11 seqq. sumtum, rei quam intellectam esse volo mihi liceat addere expositionem. Scilicet praeter adolescentiorem filium in scenam simul prodit senior filius, qui quum ex agro venisset et appropinquasset domui audiretque symphoniam et chorum, indignatus introire noluit. Patri autem, egresso et illum roganti, benevolentiam, fratri perduto exhibitam, quum exprobraret suamque honeste vivendi rationem multis verbis laudaret, tam manifestum et invidiae suae et nimiae sui admirationis documentum exhibuit, ut vix ullo modo fratre perduto honestior et melior haberi queat. At patris quanta est misericordia, clementia, indulgentia! Quem lectorem secundaria haec parabolae persona non excitat? cuius animum non movet? cui non largam animi in eam defigendi praebet occasionem?

Intelligimus igitur, non solum ad exornandam expositionem res adhiberi secundarias, sed principalem etiam ad rem melius intelligendam comprehendendamve viam nonnunquam aperire manifestam. Inde fit, ut totus *ἐν παραβολαῖς* docendi modus habeat, quo se commendat et illi anteferatur necesse sit dicendi modo, qui sententiarum figuris et luminibus neglectis in nudis rerum notionibus versatur, quae a singularibus rebus abstractae et ab adspicuum iudicio remotae sunt. Ille enim dicendi modus, quem dixerim

parabolicum, *insinuationem* quandam habet, quam rhetores ita dicunt esse comparatam, ut occulte per dissimulationem auditorem aut benevolum aut attentum aut docilem faciat. Conf. *Auct.* ad Heren. I, 4.; *Cic. Inv.* I, 15.; *Quintil.* IV, 1, 5. Quam ob rem non magis menti excolendae quam totius animi recreationi, corroborationi, emendationi prospicit.

Itaque quum Christus etiam prophetici muneris auxilio novos, qui a sacris scriptoribus dicuntur, vellet creare homines, qui ad regnum Dei intelligendum totoque pectore amplectendum apti eique propensi essent, parabolis, ad auditorum animos movendos, excitandos, arripiendos maxime accommodatis, sapienter nec sine effectum est usus. Sed haec hactenus.

Quae ab aliis narratae sunt parabolae, etiamsi hoc nomine eas appellare velis, tamen cum Iesu Christi parabolis vix ac ne vix quidem comparari possunt, quoniam, ut supra iam ostendimus, in his prorsus peculiaris inest ratio: tum regni coelestis notio imaginum auxilio expressa invenitur, tum consilia cernuntur, quae ad rem prorsus singularem spectaverunt. In aliorum parabolis aliae proponuntur res, ad hominum potius condiciones spectantes, quae rectius vulgo dicuntur fabulae. Ipsos apud Hebraeos paraboliarum exempla tum ea, quae iam supra laudavimus, tum, quae II. Sam. XII, 2 seqq. in Nathani cohortatione ad Davidem Regem facta et Iud. IX, 8 seqq. in narratione Ithami, Gideonis filii, de dumo reperiuntur, diversa ratione quam Christi parabolae sunt iudicandae; omitto fabulas s. *ἀπολόγους* Graecorum, Romanorum [cf. *Agrippae Menenii* fabulam de corporis membris agentem apud *Liv.* II, 32] et Nostratium [*Herderi, Goethei, Krummacheri, Rückerti, aliorum*].

§ 4.

Parabolarum a Iesu Christo in N. T. propositarum commentarius.

Quae res in parabolis enarratur, aliqua ex parte coelorum regno est similis vel *ὁμοία*; hinc fit, ut *ὅμοιον εἶναι* et *ὁμοιωθῆναι* pro *παραβολῆς* vocabulo usurpetur, v. c. quum legimus: *ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν* vel *ὁμοιωθή ἡ βασ. τ. οὐρ.* Matth. XIII, 24 et 31, aliis locis, quamquam in antecedentibus dictum est: *ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν* scil. *ὁ Ἰησοῦς αὐτοῖς*. Quae vero res in paroemiis proponitur, non aliqua ex parte, sed prorsus tota ad regnum coeli pertinet; est enim ipsa Iesu Christi persona, de qua *ἐν παροιμίαις* agitur. Hinc factum est, ut Ioannes, qui divinam potius Iesu Christi maiestatem et gloriam, quam doctrinam moralem in clariore vellet ponere luce, Christum magis *ἐν παροιμίαις* *λελαληκότα* cf. Ioan. XVI, 25 faceret, reliqui autem Evangelistae, quorum esset, vitam Iesu Christi sermonesque omnino enarrare, suis admiscerent parabolas historiis. Harum autem adiicere commentarium placuit, quo facilius parabolarum a Salvatore etiam in nostrum usum exhibitarum et ordo et copia perspicui possit.

Extant autem parabolae inter se collatae fere hae:

A. Apud Matthaeum:

- 1) De commissura panni rudis, in vestimentum vetus immissa. Matth. IX, 16. 17. coll. Luc. V, 36—39.
- 2) De satore. Matth. XIII, 3—23. coll. Marco IV, 3—20. Luca VIII, 5—15.
- 3) De lolio inter tritica sparso. Matth. XIII, 24—30.

- 4) De grano sinapis, in arborem magnam crescente. Matth. XIII, 31. 32. coll. Marco IV, 31. 32. Luca XIII, 19.
- 5) De fermento, in farinae satis tribus abscondito. Matth. XIII, 33. coll. Luca XIII, 21.
- 6) De thesauro, in agro defosso. Matth. XIII, 44.
- 7) De mercatore, bonas margaritas quaerente. Matth. XIII, 45.
- 8) De verriculo, in mare ejecto. Matth. XIII, 47—50.
- 9) De re, coinquinante hominem. Matth. XV, 11—20. coll. v. 15.
- 10) De rege, rationem ponere cum servis suis volente. Matth. XVIII, 23—35.
- 11) De patrefamilias, primo mane conducere operarios in vineam suam exeunte. Matth. XX, 1—16.
- 12) De homine, duos habente filios. Matth. XXI, 28—32.
- 13) De patrefamilias, vineam plantante eamque agricolis locante. Matth. XXI, 33—44. coll. Marco XII, 1—12. Luca XX, 9—19. Iesaja V, 1 seqq.
- 14) De rege, nuptias filio suo faciente. Matth. XXII, 1—14. coll. Luca XIV, 16—24.: de homine, coenam faciente multosque vocante.
- 15) De arbore fici, aestate gemmas agente. Matth. XXIV, 32. 33. coll. Marco XIII, 28. 29.
- 16) De decem virginibus, lampades suas accipientibus et sponso sponsaeque obviam euntibus. Matth. XXV, 1—13.
- 17) De homine, peregre proficiscente et servis suis bona sua tradente. Matth. XXV, 14—30. coll. Luca XIX, 12—27.

B. Apud Marcum:

- 1) De satana, satanam eiicere nolente. Marc. III, 23—27. coll. Matth. XII, 24—32.
- 2) De seminante, ad seminandum exeunte. Marc. IV, 3—24. 26—29. coll. Matth. XIII, 3—23. Luc. VIII, 4—18.
- 3) De grano sinapis, in arborem magnam crescente. Marc. IV, 31. 32. coll. Matth. XIII, 31. 32. Luca XIII, 18. 19.
- 4) De malis, ab intus procedentibus et hominem communicantibus. Marc. VII, 15—23. coll. Matth. XV, 17—20.
- 5) De homine, vineam pastinante eamque agricolis locante. Marc. XII, 1—12. coll. Matth. XXI, 33—44. Luc. XX, 9—19.
- 6) De arbore fici, aestate gemmas agente. Marc. XIII, 28. 29. coll. Matth. XXIV, 32. 33.

C. Apud Lucam:

- 1) De commissura, a novo vestimento in vestimentum vetus immissa. Luc. V, 36—39. coll. Matth. IX, 16. 17.
- 2) De foeneratore, duos habente debitores. Luc. VII, 41. 42.
- 3) De seminante, seminare semen suum exeunte. Luc. VIII, 5—15. coll. Matth. XIII, 2—23. Marc. IV, 3—24.

- 4) De caeco, caecum ducente. Luc. VI, 39. coll. XV, 14.
- 5) De festuca in oculo fratris. Luc. VI, 41—43. coll. Matth. VII, 3—5.
- 6) De homine, aedificante domum. Luc. VI, 48. 49. coll. Ezech. XIII, 11.
- 7) De Samaritano, misericordia moto. Luc. X, 30—37.
- 8) De homine divite, horrea sua destruente et maiora faciente. Luc. XII, 16—21.
- 9) De arbore fici, in vinea alicuius plantata et terram occupante. Luc. XIII, 6—9.
- 10) De grano sinapis, in arborem magnam crescente. Luc. XIII, 19. coll. Matth. XIII, 31. 32. Marc. IV, 31. 32.
- 11) De fermento, in farinae satis tribus abscondito. Luc. XIII, 21. coll. Matth. XIII, 33.
- 12) De homine, coenam magnam faciente multosque ad eam vocante. Luc. XIV, 16—24. coll. Matth. XXII, 1—14.: de rege, nuptias filio suo faciente.
- 13) De homine, centum oves habente unamque ex iis perdente. Luc. XV, 4—7. coll. Matth. XVIII, 12—14.
- 14) De muliere, drachmas decem habente unamque ex iis perdente. Luc. XV, 8—10.
- 15) De homine, duos habente filios, adolescentiorem alterum (perditum), alterum seniorem (semper cum patre viventem). Luc. XV, 11—32.
- 16) De villico, apud dominum diffamato. Luc. XVI, 1—13.
- 17) De homine divite, quotidie splendide epulante, et mendico, ad eius ianuam iacente (Lazaro). Luc. XVI, 19—31.
- 18) De iudice, viduam vindicante. Luc. XVIII, 2—8.
- 19) De duobus hominibus, in templum adscendentibus, ut orarent, Pharisaeo altero, altero publicano. Luc. XVIII, 10—14.
- 20) De homine nobili, decem servis suis decem minas tradente. Luc. XIX, 12—27. coll. Matth. XXV, 14—30.
- 21) De homine, vineam plantante eamque colonis locante. Luc. XX, 9—19. coll. Matth. XXI, 33—44. Marco XII, 1—12.

